



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 1. Quid, & quotuplex ultima voluatas?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

C A P U T II.

De Testamentis &c.

§. I. Quid, & quotuplex ultima Voluntas?

Ultima voluntas est voluntatis nostra justa sententia de eo, quod quis vult post mortem suam fieri. Communiter recensentur hæ quasi species, scilicet *Testamentum, Codicillus, Legatum, Fideicommissum, & Donatio mortis causâ.*

Testamentum est, Voluntatis nostra sententia, quâ Hæres immediate instituitur, directè quidem, & ex propriâ talis dispositionis naturâ, non autem ex privilegio: quod ultimum addo, ut excludatur Codicillus militis, quo ex speciali privilegio potest directè hæres institui, ut patet ex lege 36. Militi. ff. de testamento militati l. 29. tit. 1.

Testamentum solemne requirit septem testes rogatos, masculos, puberes, & subscribentes.

Excipitur 1. testamentum militare, 2. Ruri vel coram Principe factum. 3. Testamentum inter liberos, ad quod solum requiruntur duo testes, possuntque esse feminæ, nec debent esse rogati, aut subscribere.

Codicillus est, ultimæ voluntatis dispositio, quâ circa testamentum aliquid explicatur, demittitur, additur, aut aliter immutatur absque hæredis institutione. Requirit quinque testes non necessariò rogatos, inter quos possunt etiam esse mulieres.

Fidei-commissum est, ultima voluntatis dispositio,

sitio, quā testator sui haredis fidei aliquid committit tradendum alteri. Numerus legitimus testium fidei-commissi quinarius.

Legatum est, ultima voluntatis dispositio, quā testator ex eo, quod universim haredis foret, aliquid alteri directis verbis confert.

§. 2. Expenduntur cætera ad hanc materiam spectantia.

P. 1. **A**N testamentum ad pias causas valeat independenter à solemnitatibus jure civili requisitis?

R. Aff. & constat ex Cap. Relatum i. ubi Alexander III. ita scribit: *Relatum est, quod cum ad vestrum examen super relictis Ecclesia causa deducitur, vos, nisi septem, vel quinque idonei restes intervenerint, inde postponitis judicare, &c. mandamus, quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum Leges, sed secundum Decretorum statuta tractetis tribus, vel duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est: in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.*

Ut valeant Testamenta, Codicilli &c. in foro conscientiæ, non requiruntur duo, tresvè testes, sed tantum ut valeant in foro externo: hinc si ponantur omnia, quæ jus naturæ postulat, licet nullus adsit testis, testamenta ad pias causas sunt in foro conscientiæ valida.

2. An testamenta solemnitatibus destituta valeant ad causas profanas?

Bk.